

ab episcopo Misnensi in feodo amplius obtinebunt. Et praedictas vineas supradicti burgravii ex consensu omnium fratrum et heredum suorum praedicto hospitali nobis et capitulo nostro libere resignarunt. Haec fecimus cum consensu et voluntate nostri capituli supradicti. Testes huius facti sunt dominus Siffridus decanus Misnensis, dominus Johannes praepositus Wurzinensis, dominus Hedenricus cantor Misnensis, dominus Theodericus praepositus Budesinensis, dominus Conradus custos Misnensis, dominus Meinherus burgravius Misnensis, dominus Albero burgravius de Liznich, dominus Thizo de Glubozich, dominus Petrus de Polenzich et alii fide digni. In cuius facti certitudinem praesentem conscribi volumus litteram et sigillo nostro sigilloque capituli nostri Misnensis firmiter communiri. Datum et actum Misnae anno domini M^o. CC^o. LXXXVI^o. in crastino sancti Lucae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv mit den beschädigten Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

Hasche dipl. Gesch. v. Dresden. Urkundenb. S. 20. — Köhler cod. dipl. Lus. I. S. 125.

No. 274. 1286.

B. Withego eignet mit Zustimmung des Capitels dem Vicar Cunrad und insofern dieser hierdurch sein Jahresgedächtniss zu stiften gedenkt, der Domkirche 24 Schock von dem Schenkwrth Arnold zu Briessnitz erkaufften Getreidezehnten und einen Garten.

In nomine domini amen. Withego dei gratia Misnensis episcopus universis Christi fidelibus praesens scriptum intuentibus tam praesentibus quam futuris salutem in domino Jhesu Christo. Quoniam omnium habere memoriam et in nullo peccare divinitatis est non humanitatis, quare necesse est ut quae gesta rite fuerint ab hominibus, ne oblivioni tradantur, scripti testimonio roborentur. Notum igitur esse cupimus universis, quod dominus Cunradus dictus de domina nostra vicarius ecclesiae Misnensis perpetuus de consensu nostro et totius nostri capituli iusto emptionis titulo ab Arnolde tabernario in Bresnitz pro decem marcis argenti comparavit decimam viginti quatuor scoccorum siliginis et avenae et hortum in Bresnitz apud curiam plebani sitam, cuius decimae in villa Borrenthin^a) maiori quatuordecim scoeci, in villa vero Lipen^b) decem scoeci eidem domino Cunrado annis singulis persolventur. Nos vero ad preces et instantiam dicti domini Cunradi, qui nobis in multis obsequiosum se exhibuit, considerata etiam ipsius intentione, qua decrevit in nostra ecclesia de eadem decima pro salute animae suae quod pium fuerit ordinare, proprietatem saepedictae decimae videlicet viginti quatuor scoccorum in praefatis villis Borenthin maiori et in Lipen siliginis et avenae sibi et ecclesiae nostrae Misnensi liberaliter conferimus et donamus volentes, ut idem dominus Cunradus de praedicta decima post obitum suum ordinet, quicquid pie decreverit ordinandum. Ne autem super hac donatione nostra eidem in posterum oriatur quaestio nocitura, praesentem litteram conscribi super eo fecimus et sigillorum nostri et capituli appensionibus roborari. Testes etiam huius rei sunt dominus Johannes Wurcinensis praepositus, dominus Theodericus praepositus Budesinensis et dominus

a) Böhrigen, Par. Etzdorf. b) Lipen, Par. Ziegenhain.